



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Supplementvm XXV. Ad pag. XLIIIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

virorum perinsignium. Et verò ipsasmet Aristotelicæ quoque Philosophiæ optimorum librorum verè Latinas non barbaras versiones, elegantioremq; solito veteris Philosophiæ cultum, debet Latinus orbis, Gazis, Argyropylis, Bessarionibus & aliis: quibus parem illa ætas in Latinis fortè habuit neminem.

## SUPPLEMENTVM XXV.

Ad pag XLIX.

**N**on erimus cuiquam molesti recitatione ipsorummet verborum Dominici Bannez: cujus testimonium de Academia Salmanticensi laudavimus in margine Dissertationis. Quandoquidem verò ille ingenuè agnovit, Francisco Victoriæ deberi prima in illâ Academiâ subtilioris Scholasticæ Theologiæ exordia, egoque Relectiones illius viri eique suetam docendi rationem pridem magni æstimaverim, unum alterumque non possum non monere. Igitur ante omnia Andreæ Schotti ex *Bibliotheca Hispanica* *tomo secundo* adferam verba. *Franciscus à Victoria Lutetiæ Parisiorum haustâ primùm Scholastica Theologia, laureaq; meritis parva, primus eam in Hispaniam veluti margaritam attulit.* Dubito tamen, utrum Parisiensi Scholæ suos in Morali Theologia profectus, quibus quàm maximè excelluit Victoria, debuerit: non sane quis par illius scholæ laudari potest. Equidem existimo, præ aliis istius seculi, culturam Moralis doctrinæ huic Victoriæ Hispaniam debere. Hoc magistro autem profecit Dominicus Soto: cujus de *Justitia & Jure præclari* iidem existant commentarii. Ex illâ portò Theologicâ Salmanticensi scholâ ad Didacum Covarruviam & Ferdinandum Vasquez cum pervenisset Morum illa & Juris Philosophia, capit demum in Hispaniâ alibiq; excoli Juris etiam prudentia, longè aliâ & accuratore quàm

quàm vulgo fieri solet ratione. Quorum diligente le-  
ctione & exemplo incitatus Hugo Grotius, quo valuit  
inuitato ingenii & iudicij acumine, dedit orbi opus il-  
lud incomparabile de Jure Pacis ac Belli.

## SUPPLEMENTVM XXVI.

Ad pag. LII.

Quod Hippocratis nomine fertur JVS IVRANDVM,  
illud reverà esse ejus auctoris, nemo quod equidem  
sciam vocavit in dubium ante patrum aetatem. Potissi-  
mum dubitandi argumentum est, quòd in Galeni scriptis  
nulla ejus fiat mentio. Et verò fuit Galenus Hippocra-  
ticorum omnium cultor studiosus: itaque saltim alicubi  
in tanto librorum suorum numero ejus libelli memine-  
rit, si habuisset in manu. Verumtamen quia bona pars  
operum Galeni pridem periit, saltim incertum est quid  
Galenus fecerit nec ne. Diu verò ante Galenum vulgò  
fuisse chartam illam Jurisjurandi Hippocrati attributam,  
liquet ex Scribonio Largo, qui vixit Claudio circiter Im-  
perante. Sed & post nemine contradicente ità creditum  
esse, docent Soranus junior, Erotianus, Hieronymus, Na-  
zianzenus, Theodorus Priscianus: quorum testimonia pri-  
dem adducta sunt in medium, cum primis à Joanne Henri-  
co Meibomio (Medico si quis alius longè *χαριστιώτερος* & meo  
dum viveret amico magno, cujusque proinde memoria  
mihi semper erit in carissimis) in eruditissimo *Jurisjurandi*  
illius *commentario cap. 1.* Faciunt huc & nonnulla verba  
Cassiodori in Formula Comitum Archiatrorum, quæ habe-  
tur *Varior. l. 6. p. 19.* Arabicæ aut Latinæ scholæ recentiores  
non est quod laudem in testes. Attendi verò & hoc mere-  
tur, quod in illo libello nihil reperiatur indignum aut  
fama aut gravitate aut dictione Hippocratis. Utut igitur

*Wanderley*